



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Paronomasiæ, & interrogationis exempla. Cap. XXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

fallit; probitatis & innocentia irrisor, à quo nemo tandè interdum non est deceptus, dissimulationis, adulationis magister, honorum & diuitiarū admirator, impurarum voluptatum minister, & callidus sophista, & bonorum etiam ingeniorum corruptor, ille est, quem amatis: quid creditis mundum esse? mundus est is, quem vobis descripsi.

Paronomasiæ, & interrogationis exempla.

Cap. XXIX.

BEATVS Basilus in eo explicando, Destruam horrea mea, paronomasia vsus est: Habes, inquit, horrea, ventres pauperum. Chrysostomus in epistolam ad Timoth. fac, inquit, tibi debitorem Deum, & quiduis petes primùm foenerare, deindè repete, vt cum vsuris recipias: tende manus tuas non solùm in calum, sed etiam in pauperum manus. si eò manus porrexeris, verticem cali tanges: nam qui ibi sedet, eleemosynam accipit, si manus infructuosas sustuleris, nihil fructus capies. S. P. Ambrosius de virginibus, de B. virgine Maria loquens, ita scripsit: Neq; enim comites foeminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habeat. Hac paronomasia aptissimè vteretur Ecclesiasticus orator, ad consolandos pauperes: Quid creditis? multi pauperes sunt diuites, diuites gratia, diuites humilitate, diuites patientia; multi autem diuites sunt magis pauperes, quàm ij, qui sunt pauperes humilitate, misericordia, Christianis virtutibus. Interrogationis exempla, innumerabilia sunt apud sanctos patres; ex quibus hoc vno erimus contenti, quod S. Ambrosius in lib. de virginibus, de B. Virgine verba faciens, imitandum propo-

proponit. Quando, inquit, ista vel vultu laesit parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem? eos solos coetus virorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neq; prateriret verecūdia, nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecūdum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species, simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Hæc figura in quocunq; dicendi genere, commodè adhiberi potest; sed in primis confert ad perspicuitatem orationis, & ad docendum. Sic ea vti licebit: Cogitatis, fratres interdum, vos esse homines ad imaginem & similitudinem Dei factos? cogitatis, sanguine Domini nostri Iesu Christi vos esse redemptos? cogitatis quid pro vobis in sanctissimo Baptismatis sacramento, sponsores vestri polliciti sint? certè rerum omnium, quas commemoravi, vos oblitos esse, quispiam posset existimare, cum sic viuatis, ut nec dignitatem hominis, nec beneficia, quæ à Deo accepistis, recordari videamini.

Percontationis, Auerfionis, & Dubitationis exempla.

Cap. XXX.

PERCONTATIONIS exemplum est illud Gregorij Nazianzeni in Cesarij, cum imperatore congressuri, laudibus: Num dubitatis, nè quid Cesario accidat, huiusmodi animi alacritate parum dignum? at bono estote animo: victor enim discedet: iuuante Christo mundi victore. Percontatio adhibenda est, cum res dubia videtur incidere, & accommodari potest ad populum,

N

in hunc